

*Q. D. O. M. B. V.*

AD

LECTIONES CURSORIAS,  
easque SAECVLARES,

ET

DISPVSTAT. INAUGVRALEM

*DIGNISSIMI DOCTORANDI,*

MDN. IOANNIS HENRICI

MICHAELIS,

S. THEOL. ET LINGVARVM ORIENTA-  
LIVM PROFESSORIS ORDINARIJ,

EX DECRETO

ORDINIS THEOLOGICI,

SACRARVM LITTERARVM FAVTORES  
ATQVE CVLTORES

INVITAT

DD. IOACH. IVSTVS BREITHAVPT,

A. B. M. CONS. & TH. F. SEN. G. S.  
DIR. SEM. TH. & SACR. HILD.

---

*HALÆ MAGDEBVRGICÆ,*  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.





**V**ando in Reformationis Ecclesiasticæ beneficio Diuino, grata nunc mente recogno- scendo, versamur; non immerito præter cetera exemplum eius reputandum est, quod suggerit Ecclesia V. T. in Rege HISKIA, *Reformatore* illo & fidelissimo & fortissimo: cuius nomen & historiam Scriptura S. exhibet 2 Reg. XVI, 20. XVIII, 1, 4. 9. 13. &c. XIX, 1. 3. &c. XX, 1. 3. &c. XXI, 3. 1 Paral. III, 13. V, 41. 2 Paral. XXIX, 18. &c. XXX, 1. 18. &c. XXXI, 2. &c. XXXII, 2. &c. Prov. XXV, 1. Esa. XXXVI, 2. &c. XXXVII, 1. &c. XXXVIII, 2. &c. XXXIX, 1. &c. Ierem. XXVI, 18. Hof. I, 1. *Siracides* nominat eum, vna cum LXX. Interpretibus, ἐξελίαν, insignitque hoc elogio: *Fecit Ezechias placitum DOMINO, & confirmavit se in viis Davidis Patris sui; quas mandavit Esaias Propheta magnus, & fidelis in visione sua.* Vnde nec aliter mentionem ipsius facit *Mattheus Euangelista*, c. I, 9. 10. vbi legimus: *Achazus genuit Ezekiam: Ezechias, Manassen.* Quemadmodum vero *Sapientia Sirach* gratiam cœlestem admiratur, quæ adiunxit Ezechiaë Regi Prophetam Esaiam, conscientiaë atque Ecclesiaë causa: ita in omni iusta Reformatione Ecclesiastica, præcipuos inter characteres, obser- vandum venit; quod Æterna Prouidentia destinet tam saluta- ri negotio non unum modo auctorem, sed huic simul assignare soleat *testium veritatis circumstantium* quandam quasi nubem, vt ad Hebræos c. XII, 1. scribitur, pariter militantium argumentis exceptione maioribus. Hiskiaë quidem instar omnium esse po- terat *Esaias*: neque aliis tamen eundem caruisse, illustre est te- stimonium *Prov. Salom.* c. XXV, 1. de *Hiskiaë viris*, qui trans- scripsere parabolas Salomonis, prioribus additas. *Fuere illi sa- pientes nonnulli*, inquit Martin. GEIERVS in h. l. *temporibus regis huius, trecentis ferme annis Salomone posterioris, viventes, reformatorique huic pientissimo peculiari modo addicti, vel ab eo- dem singulariter destinati, non tam ad expeditiones aulicas ac secu- lares, quam ad sacras vel Ecclesiasticas; quorsum haud immerito referre possemus Prophetas, sub rege hoc vaticinantes, v. g. Iesai- am, aule satis propinquum atque notum, Ies. I, 1. XXXVII, 2. XXXVIII, 1, Hoseam, Hof. I, 1. & Micham, Mich. I, 1. quibus etiam omni-*



*omnium optime conueniret hæc scripti Canonici congestio vel dispositio; ita vt Sacerdotium, sub religioso hoc rege bene satis reformatum, non obstiterit labori illi sacro, quin potius modis approbarit eum omnibus ac promouerit. Atque sic, pergit, Iesaiam, inter hos Ezechiae vel Hiskiae (nam vnus hoc est regis nomen geminum) viros, fuisse primarium, utpote regis consanguineum ac per familiarem, censuerunt non pauci. Verum enim vero, si cum Israelitica ista Reformatione conferamus superiorum temporum Euangelicam, non sine stupore intueri possumus Euangelicorum multitudinem Doctorum, qui donis tam mirificis partim comitati, partim consequuti sunt Megalandram nostrum: qua ex re τὸ θεῖον Augustanae Confessionis, veluti ex longinquo etiam, satis animaduerti potest. Cetera, quæ ad dictam HISKIAE expeditionem Ecclesiasticam pertinent, vberrimo cum fructu in Eucharisticis Iubilæi sæcularis solemnibus considerandam, pluribus declarabit *Inauguralis Disputatio* Viri Maxime Reuerendi & Amplissimi, DN. IO. HENR. MICHAELIS, S. Theol. & Linguarum Orientalium Profess. in hac Academia Ordinarii, Collegæ nostri honoratissimi: de cuius vita & studiis, secundum morem in Academiis receptum, sequentia communicamus. Natus est Clettenbergæ, quæ Illustrissimorum Comitum Witgen- & Hohensteinensium sedes erat, anno superioris sæculi 68. die 15. Iulii, patre *Io. Valentino Michaëlis*, ciue Elricensi, tunc conductore equestris cuiusdam prædii Clettenbergensis, matre vero *Sophia Schmidia*, diuini verbi callentissima. Quorum parentum sollicita ac prouida cura, & in primis piæ matris diligentia, factum est, vt non solum cum ipso quasi lacte materno aliqua salutaris doctrinæ femina imbiberet, sed & vernacula scripta ac Biblia legendi peritiam acciperet prius, quam puer aliis erudiendus committeretur. Adolescentiam tamen viuendo nec attigisset, nec absoluisset, nisi ex pluribus, iisque præsentissimis, vitæ periculis singulari DEI misericordia seruatus esset. Quod vero publica ad linguas addiscendas institutio Clettenbergæ deesset, per biennium tandem cum aliis honestis liberis a priuatis præceptoribus latinæ linguæ rudimenta edoctus fuit. Postea quum anno ætatis eius XI. parentes cum familia ad res suas proprias Elrichiam remigrarent, commodiorem quidem occasionem in litteris proficiendi nactus esse videbatur; ve-*



rum ob decrepitam *B. Schiedungii*, Rectoris, ætatem, & *B. Lamperti*,  
Conrectoris, podagricum morbum, condiscipulos illic sine disci-  
plina, & summam ἀταξίαν inuenit: qua & noster sine dubio cor-  
ruptus fuisset, nisi mature obstitisset cum Parentum sollicitudo,  
tum diuini verbi virtus, quod publice ac priuatim a Maxime Reu.  
atque Amplissimo *Damio*, omni cum rectitudine tum propone-  
batur. Is quum aliquando nostrum in scholæ corruptissimæ vi-  
sitatione de vero studiorum fundamento interrogasset, idque  
paucis, sed grauibus verbis expositum inculcasset; hoc ipso mo-  
nito noster, quasi e somno excitatus, de salute sua secundum ver-  
bum Dei sollicitus esse, & ad duetum Horti Paradisiaci *B. Arndii*  
seriis precibus eam a DEO quærere incepit: præsertim quum non  
solum domesticum matris exemplum haberet, sed & publicæ ca-  
lamitates, & Germaniæ a Turcorum barbarie imminens periculum,  
postea etiam pestilentielle contagium, & totius viciniæ vastatio,  
omnes homines, quasi vi quadam, ad preces compellerent; ac in  
ipsa quoque Elrichia vna & altera familia funesto illo malo extin-  
cta esset, scholæ Collegis insuper omnibus, naturali tamen morbo,  
vita sua prius defunctis. Vastata tunc quoque erat pestilentiali  
lue imperialis Nordhusæ ciuitas, eiusque schola, quæ vicinos alias  
excipere solet ad altiora præparandos, docentibus potissima ex  
parte orbata erat: nec alio commigrando nostro potestas aut occa-  
sio fuit. Vnde factum est, vt tandem sub finem anni 1683. a Parente  
Brunsuigam, ad discendam mercaturam mitteretur.

Sed aliud tamen DEI consilium erat, qui animum adolescen-  
tis mirifico erga studia amore accendebat, remque ita dirigebat,  
vt ægre, post vnum vel alterum durissimi tirocinii mensem, a mer-  
catura dimissus, Martinianæ scholæ Brunsuicensis alumnus, &  
commendatione Rectoris meritissimi, *B. Mæringii*, quatuor pue-  
rorum pædagogus fieret, adeoque hospitem modestia & probita-  
te sibi conciliaret, vt hic eum, quum sequenti anno morbo dysen-  
terico, inter Brunsuicenses tum grassante, correptus esset, vix  
tandem Parenti in patriam reducendum permitteret. Hinc post  
aliquot hebdomadas ex morbo restitutus, vertente autumno, in  
vicinam patriæ Nordhusam concessit, sub manuactione Cl.  
Rectoris *Dunckelbergii*, & Conrectoris Cl. *Bublii*, inceptam stu-  
diorum telam continuaturus. Quod propositum ex diuina bene-  
dictio-



ditione adeo auspicato ei successit, vt post triennium, non suo, sed Præceptorum arbitrio ac suafu, mense Aprili 1688. cum omnium fauore in celeberrimam Lipsiensium Academiam dimitteretur.

Ignotus illic omnibus ab initio, cum primis fauentem studiis suis inuenit Cl. M. *Io. Ernestum Müllerum*, paulo post Rudelstadiensis scholæ Conrectorem, nunc Isenacensis Rectorem meritissimum; a quo & rudimenta linguarum orientalium, vti Rabbini mi ab Ex - Iudæo Lectore, *Alberto Christiani*, didicit. Deinde pro hospitio & liberali victu, Adolescentes nonnullos per biennium & ultra in humanioribus litteris erudiuit: quarto vero vitæ academicæ anno impressioni Lexici Opitiani Hebræo-Chaldaici emendandæ præfuit, vt ipse *B. Opitius*, non sine grata in nostrum animi testificatione, in Præfat. operis anno 1692. Hamburgi euulgata, commemorauit. Quod autem tempus ab informationis vel correctionis labore reliquum erat, non inerti otio aut *παισιεργία*, sed maxima sedulitate auscultandis & repetendis celeberrimorum virorum lectionibus impendit. Logicam & Metaphysicam ex priuatim docentibus Magistris audiuit, & in Geographicis alios ipse non infeliciter instituit. Moralis doctrinæ lineamenta *B. Seligmannus* exposuit; Thetico - Polemicas lectiones apud *Cel. D. Io. Schmidium* frequentauit; Exegeticas vero partim ex *B. Io. Oleario*, partim celeb. *Carpzouio* diligentissime excepit: tandem etiam homiletica præcepta docentem *B. Riinum* audiuit, & denique in historia ecclesiastica *celeb. Ittigium*, & qui per DEI gratiam superest, *Venerand. Rechenbergium* duces habuit.

Ita necessariis ac salutaribus disciplinis instructus, & viris celeberrimis iam notior factus, facile inuenturus Lipsiæ fuisset subsidia, quibus honeste se sustentare, & ad iustam maturitatem incepta studia perducere potuisset: quum non deessent, etiam in munere publico constituti, qui eius opera ob modestiam lubenter vterentur, nec pauci commilitones, per horam quotidie in Hebraicis ab eo instituti, & post plures etiam annos gratam mentem testati, lubentissime eum secum retinuissent. Aliter tamen visum est DEO, cuius in manu sunt vita hominis & omnia. Is enim nostrum non solum impulit, vt prius, quam ex his oris discederet, propter varios rumores, qui tum passim in vulgus, immo in orbem spargebantur, cognoscendæ veritatis causa huc ipse accede-



ret, et quid ageretur, videret; sed etiam animum accedentis ita flexit, vt quum plures, ex parte etiam splendidæ satis, conditiones ei offerrentur, heic tamen manendum sibi esse ideo decerneret, quod doctrinam pariter & vitam docentium per Dei gratiam cum Verbi diuini regula eximie congruere deprehenderet. Hinc ciuibus nostris adnumeratus, & seminario theologico adscriptus, deinceps, quantum imbecillior corporis valetudo, continuis lucubrationibus contracta, permisit, non me tantum *D. Breithauptum* institutiones theologicas in calamum dictitantem & explicantem, nec non epistolas Pauli enarrantem, & Vener. Collegam *Augustum Hermannum Franckium*, Psalmos ex Hebraica veritate interpretantem assidue audiuit; sed ipse etiam, illius suafu, *lectiones Hebraicas* cum Commilitonibus instituit: exercitationibus biblicis & disputatoriis constanter interfuit, in asceticis sæpius ad Commilitones verba fecit, interdum etiam, nunquam tamen, nisi Superiorum iussu, pro concione sermones sacros dixit; donec vertere autumno anni 1693. ex desiderio & voluntate optimorum parentum in patriam abiret, & fratrem aliumque cognatum institueret, nonnunquam etiam ad populum verbum diuinum pro concione diceret, facillime munus aliquod pastorale obtenturus, si humanis viis id quærere vnquam voluisset.

Verum anno 1694. qui Academiae nostræ ob solemnißimam inaugurationem natalis erat, inuitatus a Fautoribus, cum fratre & duobus cognatis huc rediit, & quod iam antea fecerat, iterum scholas Græcas, Hebraicas & Chaldaicas commilitonibus suis aperuit, eo cum successu, vt vix quisquam tunc inter S. Theologiæ Studiosos heic esset, qui non a capite ad calcem sacrum Codicem Veteris & Noui Test. in lingua authentica, ipso duce, perlegisset. Vnde etiam sine vlllo sumtu aut pretio ab Amplissima Facultate Philosophica priuilegia Magistri in Philosophia ei data fuerunt, quum prius, post consueta examina, *breuioris manuductionis ad doctrinam de accentibus Hebræorum prosaïcis conamina*, sub laudati & Ven. *Franckii* præsidio, publica disputatione exposuisset; quæ & postea, cum gemella dissert. *de accentibus seu interstinctionibus Hebræorum metricis*, pro captu puero- rum in vernaculum sermonem conuersa sunt, iamque aliquoties recusa: vt alia eius industriæ specimina, v. c. *Epicrisin philologicam*



*logicam de Plur. Rev. atque Clar. viri M. Michaelis Beckii, Ulmen-  
sis, Disquisitionibus philologicis, quam Amplissimæ Facultatis  
Philosophicæ consensu, pro loco in eadem rite obtinendo, sub  
finem anni 1696. habuit, hic non commemoremus.*

Nec tamen propterea, quorundam more, a theologicis le-  
ctionibus abstinuit, sed B. quoque *D. Io. Guil. Baieri*, & deinde  
Vener. Collegæ nostri *D. Pauli Antonii* explicationem contro-  
uersiarum theologiarum diligenter audiuit. Præter *cursoriam*  
vero *lectionem Hebræi Codicis*, quam quotannis de integro in-  
cepit & absoluit, cum selectioribus nonnullis auditoribus annu-  
um quoque cursum in Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Samari-  
tanis, Arabicis atque Rabbinicis litteris, promouente hoc eius  
studium Vener. Franckio, anno 1697. ingressus est, tantumque,  
DEO benedicente, per annum, binis quotidie horis docendo  
præstitit, quantum vix antea quis credidisset. Quumque præ-  
ter spem Illustri Viro & summo Philologo, *Iobo Ludolfo*, hac  
transeunti, innotuisset, & ab illo, ad discendam etiam ac propa-  
gandam *Æthiopicam linguam*, Francofurtum inuitatus esset,  
sequenti anno 1698. mense Aprili eo profectus, breuissimo tem-  
pore, & sine operosa institutione, eos in *lingua Æthiopica & Am-  
harica* profectus fecit, vt non solum optimæ spei discipulum  
Vir Illustris diceret, seque felicem eo apud alios prædicaret; sed  
filii quoque loco eum haberet, secum vel ad dies vitæ, vel eous-  
que saltem retinendum, donec *Lexicon ipsius & Grammatica  
Amharica*, antea nunquam visa, anno 1698. sequenti vero 1699.  
*Lexicon Æthiopicum*, priori editione vel quadruplo auctius, in  
lucem prodiissent. Quo tempore, quum Vener. Franckio a  
Sereniss. ac Potentiss. huius Academiae Conditore munus ordina-  
rii Theologiae Professoris clementissime demandatum esset, in  
illius locum noster ad *professionem linguarum Græcæ & Orienta-  
lium* clementissime vocatus, & ab Illustri Ludolfo amoris causa  
huc deductus fuit. Huius ex desiderio *Psalterii Æthiopici nouam  
versionem Latinam, cum notis philologicis* adornandam, tunc in se  
recepit: quæ postea anno 1701. eiusdem summi Viri sumtibus ac  
cura Francofurti impressa fuit.

Posthæc Spartam, quam hic nactus erat, legendo & dispu-  
tando pro viribus ornare perrexit, pluraque litteraria monu-  
men-

men-



menta edidit, partim e Catalogo scriptorum Halensium, partim  
 aliunde iam satis nota. Nouum autem laborem subiit anno 1707.  
 post mortem B. & meritissimi nostri *Cellarii*, in *Bibliotheca Aca-*  
*demica* consignanda & transferenda; deinde etiam anno 1709. ex  
*munifico legato Illustrissimi Domini Danielis Ludolphi de Danckel-*  
*mann &c.* maxima accessione augenda. Inprimis vero diligen-  
 tiam & studium eius iam inde ab anno 1703. exercuit *noua Biblio-*  
*rum Hebraicorum* cum variis lectionibus & notis philologico-  
 exegeticis iam dudum vltra dimidium impressa *editio*, sed variis  
 grauibusque impedimentis, & aduersa inprimis valetudine, huc  
 usque sufflaminata. Quum enim anno Christi 1709. singulari  
 gratia Dei omnipotentis ac Regis Porussiae, Domini nostri longe  
 clementissimi, Abbas Cœnobii Bergensis prope Magdeburgum  
 constitutus ego essem, & eodem Regio rescripto Nostro quoque  
*Professoris Theologiae Ordinarii* partes, quas publica lectione ex  
*Historia Ecclesiastica* exsequeretur, clementissime demandatæ  
 essent, & variis ac diuersis laboribus ille nimis distraheretur;  
 quod ex multitudine negotiorum ab initio faciendum erat, post-  
 ea in consuetudinem abiit, vt tandem infomnes plane noctes  
 ageret, & continuis sudoribus, dentium doloribus, totiusque cor-  
 poris *καταξία* misere laboraret: tandemque post *Pro-Rectorale*  
*munus* per DEI gratiam feliciter anno 1712. & 1713. administratum, adeo debilita-  
 tam corporis sui valetudinem sentiret, vt succumbendum breui fuisset, nisi *DE-*  
*VS Serenissimi ac Potentiss. Regis nostri* animum ad indulgendum aliquod respi-  
 randi spatium benignissime mouisset. Dimissus igitur ad tempus, vt valetu-  
 dini recuperandæ vacaret, apud *Perillustrem Dominum, Carolum Hidebrandum,*  
*Liberum Baronem a Canstein, Dynastam in Canstein cet.* portum inuenit, ex quo  
 amissarum virium recuperationem expectaret. Cuius, & Illustris Vxoris, plus  
 quam benignum adfectum, ac gratiam prorsus singularem, predicare satis non  
 potest; sed DEO, eiusque vberissimæ compensationi, omnia in se benefacta  
 quotidianis precibus commendat. Sic ante biennium redux ad nos, & paullo  
 confirmatior valetudine factus, præter ordinarios muneris sui & Decanalis offi-  
 cii labores, vnamque vel alteram Dissertationem publice habitam, iam totus in  
 eo est, vt labor ille biblicus, tamdiu a multis expectatus, tandem aliquando,  
 quod sequenti anno futurum speramus, absoluat. Posteaquam vero,  
 occasione Iubilæi Ecclesiastici incidentis, admonitus est, vt Doctoralis gra-  
 dus insignia officii causa reciperet; præstitis iis, quæ Facultatis Theologicæ  
 Statuta præscribunt, habitisque Lectionibus etiam Cursoriis in Matth.  
 XVI, 18. ad d. Octobr. XXV. & XXVI, supra dictam Disputationem d.  
 XXVII. publice ventilandam proponit. P. P. Domin. Trinit.  
 XXII. d. XXIV. Octob. Anno 1717.

\* \* \* \* \*  
 \* \* \* \* \*  
 \*

Coll. diss. A. 78, Misc. 23